



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 19. Moscovia a Cosaccis devastata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

nem interim invadunt, sexaginta pa- Sæc. XVII.
 gos, duasque urbes incendio delent, A. C. 1613.
 & obvios quosque, nulla nec ætatis,
 nec sexus, aut conditionis habita ra-
 tione trucidant, agrosque duorum in
 longitudinem milliarium spatio, perem-
 ptorum cadaveribus studiose dispersis
 consternunt, tandemque ingenti præda
 onusti, nullo tunc vindice, ad suos
 impune revertuntur.

§. XIX.

Moscovia a Cosaccis devastata.

Verum Cosacci paulopost Moscorum & Tartarorum sævitiam pari crudeli-
 tatis genere plectebant; eorum enim
 plusquam undecim millia e Lithuania
 ubi Fedrowitsii grassationibus obsistere
 nitebantur, in interiorem usque Mo-
 scoviam penetrabant, ingentemque au-
 ri, ceteræque rerum copiæ, quam Mo-
 sci Polonis extorserant, prædam recu-
 perabant, demum vero direptis pluri-
 bus pagis in Tartaros quoque spoliis
 opulentos recta pergunt, atque ingen-
 tibus eos cladibus afficiunt, vicinam-
 que circum Regionem rapinis exhau-
 riunt. Horum felici progressu, domi-
 tisque hostibus Poloni tantisper respi-
 rare cæperunt, & Sigismundus Rex
 illatam cladem novo bello ulcisci pa-
 rabat,

*Appam. in
 hunc ann.
 num. 7.*

Sæc. XVII. A.C. 1613. rabat, postquam die vigesima tertia Martii in castris Pofonienfi & Varfovienfi foedus cum Mathia Romanorum Imperatore feliciter concluderat, quo pacta, armorumque societates Poloniam inter & Austriam initæ fuere innovatæ, stabilito mutuo invicem armorum, pacisque & commerciorum cultura.

§. XX.

Sigismundi Bathorii obitus.

Merc. p. 304. Die vigesima septima Martii Sigismundus Bathorius Transylvaniæ Princeps, & quondam Turcarum terror obiit. Hic animi sui mutabilitate Principatum, famam, libertatem & vix non etiam vitam amiserat, tandem vero omnibus bonis spoliatus Pragam ad Rudolphum Cæsarem, cujus patientiam iterata defectione fatigaverat, confugere compulsus est, quin tamen ibi adversantis fortunæ invidiam declinare posset; cum enim de clandestinis cum Achmete machinationibus ab æmulis falso, crebro tamen, postularetur, arcta custodia per integrum ferme biennium circumseptus hærebat, donec tandem novissime detecta criminationum falsitate Mathiæ Cæsaris iudicio innocens declaratus fuerit. Tantum valet, accuratæ cognitionis lumen